



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XX. D. Marcellvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XIV. D. AVTOR.

D Author à Mariano & Methodio brevissimè, sed simul maximè laudatus Episcopus, sæviente Maximino Thrace inter socios Sacerdotes multos cecidit Martyr dignissimus, cuius reliquiæ Brunsvigum, & inde Paderbornam venerationis causâ transferrentur.

XV. MAURITIUS, aliis Fauritius, mort. an. 244.

XVI. FORTUNATUS.

XVII. CASSIANUS.

XVIII. D. MARCUS.

XIX. D. NAVITUS.

Ex allato hætenus Episcoporum numero Methodius collegit 16. Martyrio insignes.

XX. D. MARCELLVS.

D Marcellus cum Eiscopis Successoribus incidit in difficilissima tempora, quibus Diocletianus & Imperii Collega Maximianus Hercules per Rictium Varum præsidem Treviris præsertim in Christianos severissimè, juxtà ac crudelissimè sævièrunt: aliàs nimirum sæpe, & præcipuè per tridui aliquando spatium in campum Martium educti, aut pecorum more per portas urbis expulsi, & Diis thus adolere jussi Christianorum propemodum innumeri, cum inter unius Divini Numinis laudes constanter perseverassent, ad unum omnes variis suppliciis torti & enecti, denique in Mosellam fuerunt demersi; unde fluvii undæ per sex leucarum spatia sanguineo colore rubuisse perhibentur. Porro Martyrum horum incredibilem copiam die mensis Octobris sexta sub

May.

Martyrum innumerabilium titulo celebrare statuit Christiana posteritas. Inter Martyres unà cum D. Marcello & Collegis Senatoribus emittit D. Palmatius Consul; Senatorum verò nomina testantur fuisse sequentia: Maxentius, Constantinus, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, Hormista, Papyrius, Constans & Jovinianus, omnes origine, & fortè nativitate Romani clarissimi. Annus D. Marcelli ultimus scribitur esse annus Christi 277.

XXI. S. METROPOLUS.

SECULUM IV.

XXII. S. SEVERINUS I.

XXIII. S. FLORENTIUS.

XXIV. S. MARTINUS II.

XXV. S. MAXIMINUS.

S. Maximinus circa annum Seculi IV. duodecimum Treviris præsentem veneratus est Imperatorem Constantinum M. qui haud procul inde, aut certè in Gallia ex testimonio tam Antiquorum, quàm Recentiorum Historicorum communissimo, signum sacratissimæ Crucis in aere divinitus efformatum, & his aut similibus literis exornatum vidit: *in hoc vince*: aut *in hoc signo vinces*. De anno obitus S. Maximini vix bene constat; sancta extinctum morte an. 322. existimant.

XXVI. S. VALENTINUS.

De memoratis hætenus Episcopis Trevirensibus vide Tomum Brovveri I. & II. atque in his documenta longè plura Ecclesiæ Trevirensis.